



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita  
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

**Druzbicki, Kaspar**

**Coloniæ, 1721**

Consid. 17. De fidei, spei, charitatis, humilitatis, patientiæ soliditate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

CONSIDERATIO XVII.

*De Fidei, Spei, Charitatis, humilitatis,  
patientiae, soliditate.*



**I**N homine perfectionis ac solidæ virtutis cupido, uti nulla Virtus deesse, ita nulla solida non esse debet; eæ tamen, ut sic loquar, solidiùs debent inesse, sine quibus nihil solidum potest in homine esse. Cujus quidem generis

Prima Virtus est Fides, cujus est credere ea omnia, quæ credenda à Deo per Ecclesiam Catholicam Romanam proponuntur. porro perfectæ fidei, non est tantùm credere, aut firmiter credere, sed etiam practicè atque efficaciter credere, vitamque fidei conformem vivere. Et neque hoc omninò ad perfectionem Fidei sufficit, sed insuper perfectionem in praxi & efficacitate ista requirit: ut fidelis non tantùm agat quæ credit, nec tantùm sic vivat, quomodo credit, sed etiam, ut quidquid perfectionis, sublimitatis, atque Heroici gradûs: in dictaminibus, in dogmatibus, in præceptis, in Consiliis fidei, denique in placitis Dei reperitur, hoc rotum & credat, & quoad fieri potest, effectui det. Fides est illuminata, immò lumen perfectum, hominem perfectiùs de mysteriorum fidei cognitione illuminans, & penitiùs atque gustabiliùs penetrare faciens, assensumque confirmans, & volunta-

luntatem contentam faciens, dubitationes vel abigens, vel momento dispellens. Fides perfecta non indiget miraculis; sufficit illi, dixisse Deum, proposuisse Ecclesiam. Fides perfecta veneratur Ecclesiam, & minutos etiam ritus ejus tenerè observat. Fides perfecta zelat fidem, ejus profunda scrutatur, enucleat, libenter prædicat, & omnibus innotescere facit, & pro uno fidei jota, parata est fundere vel vitam. Fides perfecta totam hominis perfecti fermentat vitam, & omnem actum ejus facit proficisci ex fide, & sublimari fide, supraque naturæ limites evehi. Et hoc est unum ex operibus tum fidei, tum hominis, perfectionis in fide cupidi, ut quidquid agit, ex intentione fidei, seu fideli, seu per fidem notâ agat; agat autem ex intentione insuper non humili, sed sublimi atque Heroicâ. Quod genus vivendi rarum est in hominibus, rarum etiam in perfectis, quia & isti plurima vitæ quotidianæ opera, non ex fide facta, nec in finem fide notum perfecta atque directa, amittunt potius quàm faciunt. Nullum enim opus, esto ab homine in gratia posito profectum sit, si fide, hoc est, supernaturali fine animatum non sit, ad meritum æternæ vitæ conducit. Et quanta, quàmque multa talia quotidie, etiam à perfectis, fiunt! Ipsi videant, quanto gloriæ æternæ, & gratiæ internæ damno fiant.

2. Virtus Spes est. Hæc sperat à Deo æternam vitam propter Christi merita, propter rectè actam in Christo vitam, propter Dei liberalitatem atque gratiam. Hæc sperat in Deo tantùm, quantùm non  
fidit

fidit in se & in ulla creaturâ. itaque nulla est perniciosior pestis spei, quàm fiducia suâ. Præsumere juxtâ ac desperare spes non novit. Nam & non sperat gloriam sinè bona .vita, neque desperat eandem cum bonâ vitâ; neque tantùm sperat eandem cum bonâ vitâ, neque tantùm sperat eandem ex bonâ vitâ; sed ex Dei gratiâ cum bonâ vitâ per Christi merita. Spes hominem facit omnipotentem: tantùm enim potest homo, quantùm sperat de Deo; & quidquid non potest homo, ideo non potest, quia non sperat de Deo; non sperat, inquam, eâ spe quâ debet, quæ spes est perfecta submissio & resignatio, & sepultura totius hominis in Deo, in Dei placito, in Dei providentia, in Dei auxilio. Nam nisi quis totum sese conformet Deo, & nisi semper faciat, velitque facere hoc solum & totum quod vult Deus, quâ fronte potest homo spem suam obtinere, ut omne id quod vult homo, indubitatè faciat Deus? Quantùm ergo homo conformatur, & obedit Deo, tantùm Deus conformatur & obedit homini; quantùm autem homini obedit Deus, tantùm per spem præsumat homo de Deo. Quare per omnia homo conformetur Deo, & in minutis etiam ad momentum (quoad fragilitas humana finit) consentiat Deo, exequaturque quod novit placere Deo; & tunc nihil volet homo, quod non etiam velit faciâtque Deus. Tunc nihil poterit non sperare homo de Deo, tantùmque poterit homo, quantùm sperabit de Deo, & fiet per spem Dei omnipotens homo. Spes non sperat in se, nec sperans sperat in spe suâ, sed in

Deo per spem suam. Solidatur tamen spe sua, immò solidat spe spem suam: ita ut etiam in spem contra spem speret, & ex spe agat, & de Deo non hæsitet; sed tunc ubi nulla humana præsidia sunt, tunc quando Deus ipse quasi indormire negotio suo videtur, tunc quando collapsa omnia videntur, tunc quando jam adversarii causæ triumphos parant vel canunt, quando omnia impedimenta in flore sunt, quando nulla spei & sperandi ratio suppetit, tunc inquam speret; & vel maximè speret, quia evidentissimum auxilii Divini affuturi indicium habet, quia Deum (omnia humana & creata auxilia, omnes industrias & vires conatúsque humanos, ut deficiant) exspectare videt, ut cum defecerint omnia alia, constétque palàm defecisse, tunc exurgat, tunc manum admoveat, tunc dexteram suam in virtute magnificet, tunc Deo soli ab omnibus gloria sit, hominis autem faciem confusio, mentem confessio & suí humiliatio impleat & occupet.

Hi duo proximè explicati excessus spei rari admodum sunt, etiam inter perfectionem professos. Nam & rari sunt admodum, qui plenè conformes esse curent Dei voluntati, eámque in minimis, in obviis, in quotidianis ad unguem exequantur, solámque in exequendo intueantur. Quotus enim quisque est, qui in minimis maximus esse velit, & in ordinariis observationibus non ordinarius? quotus quisque est, cui (ut de S. Bern: legimus) in ipsis communibus sit singularis puritas & devotio non communis, qui nihil negligens & minima quæque  
cum

cum studio & intentione tractet ? quotusquisque est, qui voluntatem Dei amet faciaturque non propter aliud, quam propter ipsammet illam voluntatem, ejusque dignitatem, & non propter suam aliquam (spiritualem etiam) utilitatem ? quotusquisque est, qui placitum Dei metiatur non ex objecto sed ex ipso Dei placito ? qui habet id, quod vult Deus, non ideo magnum putet, quia magnum in se est, sed quia, esto illud minimum & vilissimum sit in se, magna tamen est Dei voluntas, & placitum quo illud vult Deus. Quia ergo tales rari sunt, rari etiam sunt apti ad fiduciam & spem perfectam in Deum. pari ratione rari etiam sunt, qui ingenium auxiliantis Dei norint; rari, qui quantum zelet ille in omnibus factis suis gloriam suam, sciunt. Rari sunt, qui opera Dei fideliter propter Dei gloriam tractent, & sibi vel post factum saltem, de facto & de gloria Dei aucta non complacent. Rari sunt, qui opera Dei a Sanctis in gloriam Dei parata, Deo, prout par est, & non hominibus ipsis tribuant, Deumque defraudent; ideo etiam rari sunt, qui illam Dei cunctationem in adjuvando, vel in eo quod petitur, concedendo, convertant in spei contra spem materiam, & non potius in desperationis occasionem. Accedit, quod plerique hujus spei contra spem occasiones nullas alias esse, quam miraculosas quasdam & extraordinarias sibi imaginentur, inter manus autem & in quotidiana vita eas reperiri solere non credant vel non sciant. Quasi Deus miraculorum sit tantum, quasi in minimis etiam non sit providentia. Atqui experti scimus,

Deum, in minutissimis occasiunculis, voluntatem suorum fervorum in suam providentiam abjectorum & voluntati suæ divinæ consecratorum adimplere solere. Voluntatem dico, non solùm eam quam ipsi habent, sed illam etiam quam non habent, sed tantùm haberent, si occasionem ejus habendæ scirent. Ex quo apparere debet perfectis viris; etiam in minutis, in obviis occasionibus, actionibus, negotiosis orationum ad Deum causis, providentiam adesse, Deum glorificari velle, spei exercitium esse posse, etiam illius quæ est contra spem, dummodo adsint oculi. Dic mihi ô homo Religiose, nunquàmne petiisti à Deo, tibi vel alteri aliquid, quod tamen non impetrâsti, etsi illud quod petebas, licitum, sanctum, ad perfectionem, ad gloriam Dei conferebat, consequenterque conforme Dei voluntati erat? Dic iterum mihi, ubi petitam rem non impetrâsti, nunquid in orando perseverâsti, & non potiùs tanquam Deo non placeret postulatum, à postulando abstinuisti? ita est sanè. Neque te reprehendo. dico tamen tibi, illam non impetrationem, illam Dei in te exaudiendo furditatem, vel potiùs tarditatem, occasionem fuisse spei contra spem: pergendum fuisse in oratione, conformandam fuisse Dei voluntati tuam voluntatem: adhibenda tamen media ad expugnandum Deum; & ejus tarditatem in dando, non in desperationis ac cessationis, sed in spei atque expectationis & perseverantiæ vertendam fuisse occasionem. Et quoties in hoc cæcutimus nosmet ipsi, qui ista aliis tam scilicet diligenter commendamus

damus

damus & exponimus ! *Tu nôsti Domine Deus, Tu adjuva incredulitatem nostram.* Mar : 9. 23. *Et adauge nobis fidem fidelem, & doce nos orare.* Lucæ 17. 5. quia quid oremus, verè nos nescimus; quia fragiles sumus & cæci nati: sed ideo, ut manifestentur opera tua in nobis, & tu magnus glorificeris in nobis pusillis, *Nos autem confortemur per te, & omnia possimus in te.* Phil : 4. 13.

3. Virtus Caritas est, quæ amicitia Dei, affectio per omnia sancta; cuius solius laus est in scriptura, labor in Ecclesia, virtus in anima, pretium in opere, præmium in cælo. *Hæc est charissima potissimum, hæc nunquam excidit, hæc major omnibus virtutibus, hæc plenitudo legis.* Hæc est dilectum Christi testamentum: atque præceptum. Hæc dos Ecclesiæ, hæc denique ( quid enim multa congeram ? ) ipse Deus est. Non discerno caritatem Dei à caritate proximi, & à caritate sive amore cæterarum rerum : quia ejusdem est ac unus caritatis, amare Deum super omnia ; & propter Deum, [ atque ideo infra Deum ] reliqua omnia.

Hæc virtus, soliditas est aliarum omnium, ipsa tamen, etiam quandoque tenera & mollis, quandoque robustior & grandescens, quandoque solida, grandis, & perfecta, *quæ foras mittit omnem.* 1. Ioan : 4. ( non tamen castum, quia hic ipsa caritas est ) *sed omnem timorem qui alius est à casto.*

Hæc diligit Deum, sed neque causam, neque modum, neque præmium diligendi habet, verum



est illi causa diligendi Deum, Deus: modus, sine modo diligere. Amat, quia amat, amat ut amet: petitem amoris amor, primum amor, finis amor; quocumque fertur, amore fertur; pondus ejus, amor ejus. Nescit reverentiam, quia amor non veretur, licet à reverentia amare didicit, & in amore profecit.

Hæc Charitas & amor, si est & ubi est, magna operatur; si operari renuit, amor non est: otium enim in caritate non est, quia caritas & amor negotium negotiosissimum est; & quia semper operatur, semper crescit; semper ergo sibi parvus videtur, & ideo semper major esse cupit; & hic est labor ejus, ex amando agere, ex agendo crescere.

Perfectio caritatis est nullâ cupiditas illa, quæ est amor sui, quæ est appetitio sui, quæ se propter se quærit, quæ ad se omnia trahit, quæ etiam Deum præ se contemnit, quæ qualiacumque bona & commoda ad se se non minus avarè, quàm superbè, quàm injustè, quàm ingratè rapit, & eis vel sibi vel irrationali rationi vel sensui indulget, quæ etiam in quærendo Deum se quærit, (alioqui non quæritura nisi sibi bonus esset) & non nisi tunc quærit Deum, quando sibi bonum putat: quando autem sibi sine Deo meliùs esse apprehendit, omnia potius alia quàm Deum quærit & per hoc se finem Dei, majorem Deo, Deum Dei, abominationemque idoli facit. hæc inquam, cupiditas, si nulla est, & quando nulla est, tunc est perfecta caritas.

Quan-

Quantum ergo vel servimus, vel adhuc obnoxii sumus cupiditati, tantum adhuc deficimus, & caremus perfectâ caritate; quantum cupiditas nostra fervet in nobis, tantum adhuc caritas tepet; quantum adhuc jactamur cupiditate, tantum adhuc non quiescimus in caritate. Vis caritatem perfectam? tolle omnem cupiditatem, quæ quidem, dum hic vivimus, planè tolli non potest: attamen quantum possumus, de ea in nobis mortificemus & tantundem in nobis caritatem, & nos caritate vivificemus. quod faciet passionum mortificatio, sensuum afflictio, naturæ se ubique quærentis persecutio, honoris abnegatio, humilitatis consecratio, patientiæ lucta, intentio pura, resignatio plena, de quibus omnibus sermo in sequentibus recurret aliquantus.

4. Virtus Humilitas est, de qua, quod dixi conf. 5. & alibi supra sparsim, etiam pro hoc loco satis est. Unum tamen pro hoc dicere necessarium est. Humilitas & humilis verus atque perfectus fugit omnem admirationem, fugit & declinat ab omni eo, quod illum potest facere apud alios mirabilem. Confusionem non fugere, est perfectio, sed [ nisi ego fallor ] imperfecti: mihi videtur, plus esse & majus, fugere admirationem; cum sæpè humilis, qui ex humilitate non fugit confusionem, idem ex elatione aut miretur ipse se, aut in admiratione se putet esse ob id, quòd eam non fugerit. Unde dico, quòd nunquam quisquam erit verè humilis, si humilitatem tanquam virtutem quæret, & non magis tanquam justitiam, ex quâ illi contemptus

abjectiōque ab omnibus ac in omnibus propter suā vilitatem malitiāque debeatur, & ipse humiliatiōnem acceptet. Semper enim, cui humilitas inerit ut virtus, velerit, vel esse faciliē poterit de humilitate atque humiliatiōne superbus, mirabitur se, æstimabit, complacebit, superbiet. Ex quo fonte superiūs, tam humilitatem, quā omnem aliam virtutem, ut esset solida, volui esse humilem. Sua deo ergo, ut qui humilis esse vult, nolit esse humilis, sed contemptus & contemptus ex debito sibi contemptu. Nolit videri humilis, sed vilis; nec se cupiat humiliari, sed sibi deberi sciat, & debitum quærat contemptum. Hinc fiet, ut non se humilem miretur, sed se contemptum gaudeat; tanquam is, qui debitam sibi mercedem accepit, aut is, qui postquam luit pœnas culpæ, se evasisse metum contentus est. Sic persuasus fugiet admirationem, qui quis sectabitur humilitatem. Quam admirationis fugam egregiè docuit nos S. Petrus Apostolus, & Joannes, in illo miraculo claudi ad portam speciosam sanati; cū enim hoc mirum esset populo, & ob id ad Apostolos stupens concurreret, videns id Petrus, dixit ad populum: *Viri Israelita, quid miramini in hoc, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Act. 3. Simile exemplum est observatum vel ab ipso Christo in Joanne Baptista, qui, cū esset planè admirabilis, non tamen apud se fuit in admiratione, nec se pro Christo venditavit, licet occasio illi daretur. Unde & à Christo inter alias laudes meruit audire: quòd non esset arundo vento agitata, agitantur enim

enim

enim, qui se mirantur, qui se mirabiles aliis videri gaudent & mirantur &c. Hanc quoque admirationis fugam summè, & meritò quidem, laudant in S. Bernardo, Scriptores vitæ ejus. Summum erat huic famulo Dei studium, fugere admirationem, & tanquam unum se se gerere cæterorum. Proverbium illud, in ore ei frequenter, semper in corde: qui hoc facit, quod nemo, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu, vitam Regulamque communem, ampliùs æmulabatur; nihil in suis actibus præferens observantiæ singularis. Ob hoc denique cilicium, quod pluribus annis occultè gestaverat, ponere maluit, quàm ut ferre sciretur; minùs illum latere velle contestans, qui cum cæteris ejusdem professionis, sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas (perfectionis) & devotio non communis. Ex cujus ejusdem Sancti vita referre, quod ad propositum præsens facit, non gravabor. Nam cum Deus Sanctum illum, mirabilem facere cœpisset miraculis: non prætereundum, (ait scriptor vitæ ejus) quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsâ demum locutus abundantiam cordis sui, domesticis quibusdam sibi fratribus Religiosis agebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa, per Sanctos homines & perfectos  
facta

facta sunt, vel per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur; confido autem, nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur. Hæc & huiusmodi crebrius secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissimè verò opportunum sibi exitum visus reperisse: Scio [inquit] huiusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem; & Deum in homine, per quem talia operatur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt; sed pro eis, qui illa vident vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet cæteris sanctiores; sed ut cæteros magis amatores, & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis, quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commotionem potiùs aliorum. Satis, nî fallimur, huius viri mirabitur animum, quisquis hoc diligenti consideratione pensaverit; nec præstantiùs reputabit æstimator quisque fidelis, signa aut prodigia mirabiliter operari, quàm perpetrata taliter interpretari. Qui ad effugandam, ab animo proprio, admirationis vanæque gloriæ pestem, à S. Bernardo usurpatus, non tantum ad miraculorum, sed ad quorumlibet mirabilium operum laudabiliùmq; gloriam retundendam modus, humili perfectoque

VIRO

viro est usurpandus. Nam sive subtilitas affluat ingenii, atque claritas in scientiis, *sive quis sit potens verbo, & loquatur tanquam potestatem habens*, Lucæ 24. 19. faciâtque multos converti ad Dominum Deum suum, sive in Confessionibus audiendis sint verba ejus ignita, & malleo similia contudenti petras; hæc similiâque admirationem patientia, consimili poterunt S. Bernardi humiliari veritate. Quo fiet, ut quis magnus sit, & tamen magnum se esse nesciat; & humilitas honorata ab omnibus, ignoret semetipsam, atque contemnat, & vincat sublimitatem nominis humilitas cordis; nec tam possit universus mundus hominem erigere, quàm ipse se dejicere solus. Summus licet reputabitur ab omnibus, infimum tamen ipse se reputabit & quem sibi omnes, ipse se nemini præfert. Immo inter honores, laudes & favores hominum, in amicitiiis sublimium quarumvis personarum, alterum sibi mutuatus videbitur hominem, se se autem qui est, reputabit velut absentem, velutque quoddam somnium aut comicum spectaculum reputabit. Ubi autem revertetur ad suos, ubi secreti sui cubicula, ab hominum tumultu subibit, ibi se ipse invenisse gaudebit & veluti ad propriam rediisse personam. Non oberit etiam, illud ex eodem S. Bernardo decerpere, & humilitatem solidam amantibus proponere, quod & aliis usitatum Sanctis novimus. Opera, sive miraculosè sive insigniter & laudabiliter facta, joco potius eludenda esse, & miratores laudatorésque eorum expediendos, quàm humilitate deprimenda. Quod factum

Etum à Sancto cùm ejus vitæ autor retulisset, hæc deinde subdit. Noverat siquidem verus & verax non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficaciùs dissuaderi posse hominibus quod stupebant, obliquâ quadam & artificiosa objectione, quàm apertâ excusatione, quæ humilitatem magis prædicabilem præferendo, existimationem non minueret hominum, sed augetet. Hoc est ingenium solidæ humilitatis: hæc ratio admirationem declinandi: hanc imiterur & teneat solidus amator: & à Deo simpliciter ac veraciter petat, ut eum faciat Sanctum, sed non mirabilem tuum servum.

5. Virtus est Patientia. Ex adversis compositi aut oppositi potiùs sumus; in eo mundo vivimus, in quo omnia ex contrariis, ex pugnantis, ex victis ac vincentibus, ex agentibus ac patientibus constant. Quomodo igitur aut evadere possumus quod patiamur, aut sperare ne patiamur? Tam est necesse hominem pati, quàm & hominem & in hoc mundo esse. Extra mundum eat, qui non pati desiderat. Nam dum hîc est, in universitate & mundo patientiæ est; ac proinde & ipsi cum tota, imò & à rota universitate mundi patiendum est. O quantâ ergo homini, & quàm solidâ ralarique patientiæ virtuosæ rogâ opus est, cui tantum patiendi mare perpetuò natandum est! cui, quòcunque sese tandem verterit, inter incudem & malleum passionis hærendum est. Et tamen nondum hoc homini ad solidam patientiam sufficit, ut patiatur ab omnibus; requiritur, ut etiam patiatur à se ipso,

ut

ut ipse sibi incus, ipse malleus, ipse agens, ipse passum sit, & hoc quidem per totam vitam.

Volo dicere: Tam necesse est hic hominem pati, quàm vivere: sed pati potest homo aut ægrè & nolens & hæc impatientia, sive impatiens patientia est; aut modeste & volens, & hæc demum virtus patientia est. Impatiens illa patientia, duplicata vel potius multipliciter aucta molestia est. Patiens & modesta patientia, simplex & ea quidem multum diminuta molestia, ac quandoque nec molestia sed lætitia est. Pati homo potest & debet, tam à se quàm ab altero. A se patitur carnis & spiritus rebellionem, carnis per spiritum mortificationem, inferioris partis per Superiorem, Superioris etiam per fidem & humilitatem, carnis infirmitatem, &c. Ab alio patitur triplex patientiæ genus sive molestiæ, videlicet vel verborum injurias, vel damna rerum, vel corporis læsionem, & hæc quidem ab homine, à cæteris rebus consimilia: à Dæmone insuper tentationem: à Deo & Angelo, nostræ voluntati contrariam Dei voluntatem. In his omnibus verus patiens servare debet patientiam, silentium, modestiam, humilitatem, indifferentiam, resignationem, caritatem, constantiam, lætitiã, desiderium, perseverantiam, innocentiam, aut certè confessionem seu veritatem. Quot ex his conditionibus caret patientia, totidem abest gradibus à soliditate suã. Post quæ omnia adhuc noverit patientiæ suæ aliquid defuturum, illud nempe, ut semper aliquid, si non ab aliis, saltem à semetipso

pa-



patiatur. Sicut animal semper indiget aëre quem  
 spiret, ita homo semper indiget, quod patiatur; si  
 non patiatur, corrumpitur: sicut caro sine sale pu-  
 trefcit. Semper ergo patere ô Religiose, si non vis  
 putrescere; nec deerit tibi vel materia, vel modus  
 patiendi, modò non desit voluntas & diligentia in-  
 quirendi, aut potiùs temet affligendi. Quòd si  
 quispiam ita delicatus sit, ut non pati cupiat, &  
 quomodo necessitatem materiámque patiendi eva-  
 dat, nôsse appetat, huic ne planè spem præscin-  
 dam, unicum superesse nihil patiendi modum sug-  
 gero, qui est, cum Dei voluntate conformem per  
 omnia esse. Conformitas hæc faciet, ut non tan-  
 tùm nihil patiatur, sed ut nec possit etiã pati  
 quidquam. Quod ita paucis expono. Patientia est  
 adversorum, hæc enim patimur, quæ sunt adver-  
 sùm nos. Illa porrò adversantur nobis, quæ vo-  
 luntati sunt adversa nostræ qualicunque. Quidquid  
 ergo accidit adversum voluntati nostræ, teu quod  
 nollet voluntas nostra, illud dicimur pati. Nam si  
 quid accidit nobis, quod accidere volumus, hoc  
 sanè pati nec possumus, nec dici debemus. Ex quo  
 patet, omnem patiendi originem atque necessita-  
 tem in nobis esse à voluntate nostra. Jam si quis  
 voluntatem suam ableget à se, ita ut nihil velit, nihil  
 non velit, sed esse totum Dei voluntati permittat &  
 hoc solum, quod illa vult, velit, quod illa non vult  
 nolit, consequens est, ut nihil unquam pati possit:  
 quippe illi nihil accidit unquam, quod accidere  
 nolit; & nihil non accidet, quod accidere velit.  
 Cui autem nihil accidit, quod non vult, & nihil  
 non

non

non accidit, quod vult, is quod patiatur, non habet : quia omnia quæ vult, habet, & omnia quæ non vult, non habet; omnia, quæ habet, vult, & omnia, quæ non habet, non vult. Talis autem est omnis, qui voluntatem suam cum Dei voluntate conformavit : hâc enim voluntate conformatâ, nihil vult, nisi quod vult Deus; nihil non vult, nisi quod non vult Deus; & nihil sibi vult, nihilque non vult, nisi quod etiam illi vult aut non vult Deus; itaque quidquid homini accidit, hoc accidere sibi tam vult homo, quàm vult Deus; & quidquid homini non accidit, hoc non accidere sibi tam vult homo quàm vult Deus. Nihil igitur potest pati unquam adversi homo, quisquis ita voluntatem suam unit divinæ, ut nihil unquam velit ac nolit, nisi quod vult ac non vult Deus.

Hæc qui legit, intelligat : & fructum perfectæ resignationis vel ex his cognoscens, ad impatibilitatem impatientiamque istam, omni patientiâ perfectiorem, aspiret; beatitudinemque cœlestem, in hac adhuc vita, possidere adlaboret. Neque nos hæc deterreant : quia nec incognita SS. Patribus perfectionisque magistris, suademus, nec impossibilia sunt, quæ proponimus, sed ut aliàs etiam diximus, sapientiam loquimur inter perfectos; & quia de solida virtute tractamus, solida etiam loquimur, spiritualibus spiritualia comparantes, & adhuc perfectiorem viam cum Apostolo demonstrantes :

*ut amulemur charismata  
meliora.*

## CONSIDERATIO XVIII.

*De resignationis, fervoris, efficacitatis,  
perseverantia soliditate.*



Quatuor, quæ in hac Consideratione veniunt considerata, non solum virtutes sunt, sed etiam aliarum reliquarum virtutum solidationes. Quare etsi fortè in earum descriptione erimus adstrictiores, in earum tamen praxi, viri spirituales atque perfecti, debent esse quàm prolixissimi.

Et de Resignatione quidem neque uno loco, neque levia, neque pauca prædicta sunt, ut vix aliquid addere necesse sit in præsentibus; maximè cum hac de re alibi, non semel etiam tractatum sit. Nonnulla tamen hinc expendisse, operæ pretium erit.

Resignatio, & conformitas cum Dei voluntate, & indifferentia idem sunt, & idem diversis nominibus significant. Hæc virtus tam necessaria est, quàm nulla super illam. Quippe etiam caritas non est aliud quàm conformitas hæc. Amare enim Deum, est Deo bene velle. Bene velle Deo, est hoc velle Deo, quod Deus vult; qui quidquid vult, sibi & propter se ipsum vult. Velle quod vult Deus, est habere voluntatem cum Divina conformem. Conformitas igitur caritas est. Hæc Virtus est in omni  
vir-